

quando e & ī, cum æ, e, & œ, ut in cœcus & secus, cædes & sedes, & cœpit & sepit,
cœptum & septum. Hæc de primâ : Altera ex duarum vocum coälescentiâ,
vel unius in duas distractione resultat, ut *incuria* & *in curia*, *ingenua* & *inge-
nua*, *sub tiliâ* & *subtilia*, unde verfculus,

Filia sub tiliâ mea net subtilia fila.

Ex hâc ambiguitate litem sevit Testamentarius, cui duo erant filii, unus
Leon, alter Cunctaleon dictus, ita testatus : Bona do mea cuncta leonti, du-
biū enim relinquebatur, an bona sua filio Cunctaleonti, an verò cuncta
bona filio Leonti dedisset; quod Epigrammate sic est expressum,

Cunctaleonte Leon cum fratre forensibus armis

Decertat, dubiō bellaque marte gerit.

Belli causa Patris non intellecta voluntas,

Ipse suas utri nempe dedisset opes :

His etenim verbis, mea do bona cuncta leonti,

Ante parens usus, quam moreretur, erat.

Hinc sibi Cunctaleon patris bona vendicat Hæres,

Poscit & ipse Leon cuncta paterna bona.

Tu refer Antistes nobis doctissime legum,

Utrum ipsò maneant jure parentis opes.

24. Quæ speciatim Orationibus scripto expressis obveniunt, Ambiguitates
ex eō originem ducunt, quod omnes, quæ in elocutione & pronunciatione
auditori observantur diversitates, scripturâ characteribusque repræsentari
Lectoribus nequeant. Quamvis enim singula vocabula, spatiolô distinguantur,
eorumque syllabarum quantitas accentu notetur; orationes ex iis conflatae
commatis, semicolis, colis & punctis discriminantur: ac earum quædam
affectiones signis interrogationis, admirationis, & parenthesios expriman-
tur: desunt tamen adhuc alia multa, ut sententiæ abruptæ (cui designandæ
hodie à quibusdam adhibentur aliquot puncta post se invicem disposita, hoc
modo) sententiæ ironicæ, imperantis, precantis, & similium, quorum
defectus lectores sæpiissimè dubios reddit, quô sensu literis fuerint consigna-
tæ. Nec tantùm ambiguitatis causa est horum signorum notarumque defec-
tus, sed etiam neglectus, nec non præposterus eorundem usus. Agnoscant
hoc Pontificii Doctores, cùm inter causas obscuritatis Scripturæ referunt,
quod, ut indeterminata, ad diversos sensus rapi potest, sive ex variâ interpun-
ctione, sive ex variô modo scribendi, aut pronunciandi; ut dubium sit, an affir-
mativè, an ironicè, an interrogativè. Nec dissentit Chamierus Panstrat. Tom. I.
lib. 15. cap. 15. §. 32. cùm inquit. *Fateor esse locos ambiguos, quos interpunctio
varia possit variare; fateor etiam omnes posse scribendò perverti; aut pronuncian-
do torqueri.* Ut autem Ambiguitas, tam quæ ex defectu quam quæ ex negle-
ctu signo-

D

ctu signo-